Edit. I p. 898

SEBASTIANVS.

I

E Nobili *Heuſenſtammiorum* familia ducebat originem, & a primis annis bonarum litterarum ſtudia, bonorumque morum honeſtatem ita ſectatus fuit, vt in illis quidem perhonorifico Canonici, Cæſareique Iuris Doctoratu ornatus fuerit; in his vero ſummam apud omnes famam temperantiæ ac pietatis conſecutus ſit. Ideoque primum a metropolitani Collegii Dominis ad Scholaſtici dignitatem vocatus, deinde vero ſtatim atque in humanis eſſe deſiit Albertus Cardinalis, ad Archiepiſcopalem thronum ſublatus fuit anno MDXLV, Octobris die XX.

nobiliſſima orius ſtirpe fuit,

1) E nobiliſſima ſane, vt auctor bene notauit, multisque imaginibus clara familia ortum traxit *Sebaſtianus*. *Heuſenſtammios* in locum *Philippi Melchioris* de *VValdeck*, dicti *de Vben*, Sedis Moguntinæ Mareſchalli hereditarii, anno MDLIV d. XXVIII Maii ſurrogatos, dignitatem Mareſchallorum Archiepiſcopatus hereditariorum genti ſuæ intuliſſe, dicetur alibi. In Auſtria etiam ſedem eos laresque fixiſſe, ac etiamnum ibidem florere, *Comitum* de *Heuſenſtein* inſignitos titulo, iam notatum ab *Humbrachto* tab. genealog. CXXXV.

quos parentes habuerit

Natus autem fuit patre *Martino*, vrbis Moguntinæ ab an. MDXXIII ad MDXXVIII Vicedomino, vita defuncto an. MDXL, matre *Eliſabetha Brendelia* ab *Homburg*, coniuge illius altera.

Duas *Martino* fuiſſe vxores ex hiſce patet litteris, anno MDIX ſignatis; *Als ſich ſpenn — gehalten zwiſchen den —* Martin *von* Heuſenſtamm, *Ritter, von wegen —* Elſen, *gebornen* Brendelin *von* Homburg, *ſeiner Husfrauen abegang, als legitimi adminiſtratoris — ſeiner Kinder, ſo er mit* Dorothea *gebornen* Brendelin *von* Homburg, *ſeiner Husfrauen ſeligen gehabt, an einem, vnd der —* Beatrix, *gebornen* von Eſch *— weiland* Eberhard Brendels *von* Homburg *gelaſſen Witwe, andern teils* &c. Id quod ad *Humbrachtum*, qui tab. CXXXIV *Eliſabethæ* tantum meminit, notandum.

Auorum, ceterorumque progenitorum ſeriem ſequens, quod ipſe olim confecit, ſchema docet.

* * *



ques habuerit fratres.

2) Fratres habuit duos ; *VValtherum* & *Martinum* ; quorum *hic* Satrapa fuit Steinhemenſis, Hôchſtenſis, & Hofheimenſis, pater *VVolfgangi* , Canonici Moguntini , mortuus anno MDL , die XIX Iunii ; *ille*, Commendator , vt vocant , Ordinis Teutonici Confluentinus, & ſupremus aulæ Moguntinæ Mareſchallus.

quando factus Scholaſticus.

3) Ad Scholaſtici dignitatem vocatus fuit anno ſuperiori MDXLIV , in locum *Adami Kuchenmeiſter* de *Gamberg :* quam Archiepiſcopus factus, die Nouembris XXIII dimiſit.

omnibus præferur

4) Mortuo Alberto Pontifex quidem , vna cum Cæſare , enixe inſtabat , vt *Othonem Truchſeſſium* , Cardinalem & Epiſcopum Auguſtanum, poſtularent ædis ſummæ Canonici. Non tacuit id MS. qui *FF. Eremitis* Conuentus Mogunt. eſt. Rex Ferdinandus vero *Laurentium* ab *Altenſtaig* miſerat , qui ſuffragatoribus ex filiis vnum commendaret. Quin Landgratius Haſſiæ etiam , Philippus , amicos Canonicorum quorundam occulte per *Alexandrum Thannium* , Præfectum Darmſtadtinum , die V Octobr. Moguntiam miſſum, tentabat. In ſpem enim neſcio quam venerat , fore , illorum vt ope filius Alberti in locum eligeretur. *Seckendorfius* hiſtor. Lutheraniſmi lib. III § CXXIV n. 8 p. 568. Sed iis omnibus *Competitoribus.*

Edit. I pag.

omnibus antelatus Sebastianus, Palatini Electoris, quin ipsius etiam Landgratii fauore, vt *Eberhardus Thannius* e fratris Alexandri ore Electori Saxoniæ per litteras retulit. *Seckendorfius* l. d.

omnium electus fuit applausu.

5) Electus autem fuit cum applausu, gaudioque omnium, præsentibus & gratulantibus tum Cæsaris, tum Ferdinandi Regis legatis, N. Comite Mansfeldensi, *Ioanne Naues*, Vicecancellario Imperatoris, & *Iacobo Iona*, Cancellario Ferdinandi. Erat enim, vir vita, moribus, & virtutibus commendabilis, doctrina & eruditione insignis, circumspectus, prudens, temperans, sobrius, in negotiis semper cautus *.

* In narratione manuscr. de electione ipsius his sane commendatur verbis: *Vir honestæ vitæ & per cuncta laudabilis, & in Dei opere spectabilis, corde humilis, vita fidelis, sanctitate mirabilis, opere vtilis, in theologia & iure doctissimus, & in omni morum honestate præcipuus, pauperum & indigentium omnium sustentator, non in gloriam elatus inanem, non etiu vanitatis mundi, non inutilibus vacans expensis, sed impositum sibi onus semper agnoscens; creberrimus in ieiuniis, pernox in vigiliis, deuotus in celebrando, & in orationibus; & in summa, animum habens ad cælestia semper promptum.*

II Confestim vero curas, cogitationesque huc suas omnes conuertit, vt tot, ac tam variis, & noxiis erroribus oppugnatæ, tot, ac tam funestis dissensionibus laceratæ, tot, ac tam grauibus malis laboranti reipublicæ Christianæ opem, si quam vllo modo posset, afferre conaretur: & in primis, ecclesiæ, cuius Pastor constituebatur, Moguntinæ. Hanc vero quia ære alieno videbat nonnihil grauatam, alleuare ipsam statuit, aliqua etiam supellectilis alicuius ecclesiasticæ, instrumentique non necessarii venditione: licet quibus hoc displiceret, non deessent.

Sedi subiectos in sua verba adigit.

1) Inito regimine die mensis Octobr. XXVII Moguntinos, die XIV Nouembris Rhingauienses, Iouis post D. Elisabethæ memoriam Olmenses & Algesheimenses, die III Decembr. Hœchstanos, & sequentibus tractus superioris ciuitates iureiurando & obsequii religione sibi sollemniter deuinxit.

pro confirmatione legatos Romã mittit.

2) Pontificis vero iudicio vt quamprimum stabiliretur, & dignitatis Archiepiscopalis ab eodem consequeretur insigne, pallium, per eosdem dies Romam destinauit *Arnoldum* de *Bucholtz*, ad ædem maiorem Canonicum, & *Antonium VViedmeyer*, Decanum Collegialis B. M. V. ad gradus, viros & auctoritate spectatos & virtute.

caussa Coloniensis;

3) Quibus Romæ demandatum sibi negotium accurantibus, ipse domi prono in Pontificis honorem, partesque iuit studio. Cum enim sub initium anni MDXLVI in conuentu Vesalienſi, qui Hermanni Colonienſis caussæ fauebant, omni contenderent opera, vt ipse & Treuirensis eiusdem susciperent patrocinium, & Cæsaris intercederent sententiæ, aperte renuit. *Sleidanus* lib. XVI p. 443, *Brouuerus* annal. Treuirens. lib. XXI § XLVII p. 373, *Seckendorfius* l. d. § CXXXI n. 6 p. 615.

4) Et quamuis non longe post a Landgrauio alia inter coram rogatus esset, vt in comitio Ratisbonensi consilia sua ad Germaniæ referre velit tranquillitatem (*Sleidanus* l. d. p. 444) Protestantium tamen caussæ, vt auctor § sequenti narrabit, ibidem haud fauit. *& Protestantium haud fauet.*

5) Interim legatis Roma reuersis, dominica, quæ vsu ecclesiastico *in Albis* appellatur, ius sacrorum, ex veteri maiorum instituto, magna cæremoniarum dignitate, *Melchiore Zobel*, Episcopo Herbipolensi, inaugurante, capessiuit. Rei diuinæ subseruiebant *Michael Helding*, Episcopus Sidonius, & *Georgius Lorch*, Suffraganeus Wirzburgensis. Abbas monasterii D. Ioannis in monte, Erbacensis, & Seligenstadensis adstabant. *consecratur Episcopus.*

6) Inde sabbato quatuor, vt vocant, temporum, quo pro introitu Missæ *Charitas Dei* cantatur, ordines sacros tam maiores, quam minores veteri & laudato rituum ordine petentibus contulit: feriis vero pentecostalibus alia id genus officia prompte, qua in obeundis muniis pontificalibus sollertia erat, administrauit. *ordines sacros petentibus confert*

In publicis vero negotiis quo consilia sua verterit, curasque, auctor enarret.

Ratisbonæ in comitiis caussa Protestantium alienus est.

III Anno secuto MDXLVI Ratisponæ Comitia indixit Imperator Carolus V, in quibus, magno religionis studio, Moguntini legati cum Treuericis a Lutheranis secessionem fecerunt, præsertimque a Colonienſi Archiepiscopo, qui Germanicis Lutheri, Buceri, aliorumque id genus libris (nam *Latina vix* tenuiter, vti Landgrauio, eius insciciam, & leuitatem arguens, dixit Cæsar, *attigerat*) in nouos errorum laqueos perductus erat, religionem sua in diœcesi veterem tollebat, ordinariis ecclesiæ ministris, & Pastoribus remotis, nouos instituebat, ab ipsoque Pontifice iam (Clero quidem, & Academia Colonienſi satagente) ab ecclesiæ communione, Archiepiscopali dignitate, sacerdotiisque ac priuilegiis, & facultatibus eius ordinis omnibus summotus erat. Iidemque Moguntini legati,

899 de Sebastiani voluntate, incepti concilii Tridentini principia comprobarunt, & Cæsarem, vt illud tueretur, hortati sunt: simulque vt Protestantibus persuaderet, ad illud proficiscerentur, eiusque se decretis & cognitioni submitterent. Quin & postea, cum eosdem Legatos sibi adiungere conarentur Protestantes, vt Cæsarem vna secum adirent, belli (quod nullum reuera parabat Cæsar, sed

eius ipsi, data opera, rumores ac suspiciones quacunque spargebant) deprecandi caussa, recusarunt illi constanter. Edit. I pag.

Quod Sebastianus ipse Comitiis his interfuerit, *Seckendorfius* l. d. § CXXXVII n. 7 & 10 p. 662 & seq. prodit; non item *Sleidanus*. Ceterum legatos, quos eo miserat, ita se ibidem gessisse, vt auctor hic tradit, *Sleidanus*, quem sequitur, quamuis haud nominet, diserte narrat l. d. libro XVII p. m. 466 & seq.

vt tempore belli Smalcaldici erga Protestantes se gesserit.

IV Interea, quod ab iisdem Protestantibus tamdiu coctum, tectum, & dissimulatum fuerat, erupit funestum illud Smalcaldicæ coniurationis fœdus, cuius primarii Duces *Ioannes* * Saxo, & Hassiæ Landgrauius *Philippus*. Hinc vero cladium, vastationum, & malorum quantum in Germania extiterit, narrant passim sæculi nostri scriptores. De Imperatore certe, qui a milite imparatus in Germaniæ quasi medio versabatur, neque belli eiusmodi cogitationem vllam habebat, pæne actum, adeoque de Catholica tota his in regionibus religione, ni hæreticorum hunc impetum, freno velut iniecto, compressisset DEVS, paullatimque ad Carolum V concurrissent equitum, peditumque copiæ. In his fuerunt equites quater mille, peditesque fere decies mille, quos e Belgio ductabat Buranus Comes *Maximilianus*. Sed Bingam cum venisset, Rhenumque circa Moguntiam transire vellet, obstabant coniuratorum in altera ripa cohortes triginta, & septem, quibus præerant *Christophorus Oldeburgus*, & *Rifebergus*. Virtute tamen, ac industria, nostro præsertim annitente Moguntino, transiuit ille, Smalcaldicosque illos omnes turpem in fugam egit, & per Aschaffenburgum, Milteburgumque in Bauariam ad Imperatorem contendit. Iis igitur auctus copiis Imperator insignem de perduellibus victoriam retulit: Saxonem, & Hassiæ Landgrauium cepit: fœderatæque ciuitates ei se dediderunt: Burano autem redeunti, & in Hassiam irrumpenti, Darmstadiumque occupanti, Francofurtana ciuitas, quod eius metuerent ciues, ne Moguntiam, aut Wormatiam a se nobilis ille mercatus, quem quotannis binum, magno suo commodo & celebritate, habent, vt in *Gerlaco* supra dictum est, transferretur. * *Io. Fridericus*

1) Studuit vtique Sebastianus Cæsaris in hoc bello rebus, vt bene notat auctor, quamuis de cetero non ab omni vacuus sit odio, gratiaque. *Archiepiscopus Moguntinus non minimum huc attulisse momentum putatur*, ait *Sleidanus*, dum lib. XVIII p. 495 narrat, Burensem supra & infra Moguntiam, cum copiis suis Rhenum, fortuna haud ancipiti, transiuisse. Hoc tamen ipso non plane nil damni sibi contraxit. Landgrauius enim, propter nauatam Burano operam, ditioni Moguntinæ subditis, cum copias suas domum reduceret, sex aureorum millia, incendiorum lytron, imperauit; quod fide manuscr. qui de rebus his curate agit, adscribere iuuat. de reliquo conferri huc meretur idem *Sleidanus* l. d. p. m. 517.

multum inde contrahit damni.

2) Ratus interim ipse, nec immerito, malorum, quæ Germaniæ tum impendebant, caussam haud postremam esse solutam passim fluxamque illorum, qui sacris operarentur, disciplinam, anno MDXLVII omnem diœcesis suæ Clerum seria admodum, quamuis paterna, admonitione exhortatus est, vt impuritate omni eiecta ad meliorem frugem redeat, ac in posterum ad vitæ incorruptæ, modestiæque se componat officia. Testimonio sunt litteræ, ad eum hac de re die XXVIII mensis Martii Aschaffenburgi datæ, quarum apographum dedi in cod. Diplomatico. *Clerum ad vitæ honestatem emendationem.*

V In hisce fluctibus, magnaque Germaniæ totius trepidatione positum fere biennium. Sed vt turbarum omnium compositio aliqua, & pax, si fieri posset, firma constitueretur, iterata voluit Imperator haberi Augustæ Comitia: eoque venit anno MDXLVII mense Augusto: primarium templum, & alia quædam Catholicis recepit; in illo ecclesiasten statuit *Michaelem Sidonium*, Sebastiani nostri vicarium Episcopum, seu, vti iam vocari dixi lib. I cap. XXII, Suffraganeum. Conuenerunt paullatim frequentissimi Principes. 900

p. 79.

VI Cum vero intellectum esset, ob vicinorum bellorum procellas migrasse Tridento Bononiam Patres, qui ad Concilium conuenerant, doluit Cæsar nonnullam Germanis Protestantibus de synodo adeunda tergiuersandi occasionem dari, fuitque senatui Principum auctor, vt de eo Pontificem interpellarent. Itaque XIV die Septembris (vt autor alioqui Catholicis periniquus lib. XIX refert) Episcopi datis ad eum litteris, Germaniæ statum, atque periculum exponunt, & illud auerti potuisse dicunt, *si mature fuisset adhibitum nascenti morbo remedium, Concilium videlicet publicum, de quo Cæsarem non semel interpellarint, vt intra Germaniæ fines illud procuraret. quo nimirum eius regionis Episcopi, quorum inprimis interfit, adesse possent. Cum enim ipsorum sit ampla iurisdictio,*

Ioan. Sleidanus.

non

Edit. I pag. 901 902

non esse commodum, hoc præsertim tempore, longius a suis finibus abesse. Diligentia tandem Cæsaris, quum Mantuam & Vicentiam nemo venisset, indictum quidem esse concilium, & inchoatum, sed extra fines Germaniæ: Tridenti scilicet, quod ad Italiam magis pertineat: hac etiam de caussa perpaucos eo venisse Germanos: neque sane potuisse, præsertim belli tempore, omnibus vndique viis obsessis, & intercluſis: nunc autem, ea depulsa tempestate, quum in ipsum ferme portum esset peruentum, & bona quædam spes animos omnium teneret, præter omnem exspectationem alio transferri, vel diuidi potius concilium, in quo salus fuisset tota collocata reipublicæ: vehementer hoc sibi dolere propter impendens periculum. Iam enim totos XXVII annos conflictari Germaniam cum nouis, & pernicioſis dogmatis, & sectis, & Episcoporum auctoritatem prope omnem iacere, & in hac vastitate rerum, atque confusione infinita hominum millia de salute periclitari: breuiter, hoc tam pestilenti malo vitiatum, & corruptum esse, quicquid antea sincerum fuit, & diuulsos inuicem Ordines Imperii, nullam inter se colere amicitiam: in his tot, tantisque malis vnicum habere se perfugium ad ecclesiam Apostolicam. orare igitur maiorem in modum, & per Germaniæ salutem, vt concilium restituat: id si faciat, nihil esse, quod non ab ipsis debeat expectare: sin autem, non sibi apparere, vnde petant auxilium. Nam vndique ventos, & procellas imminere, quibus depellendis ecclesiam Romanam DEVS constituerit, veluti propugnaculum aliquod, & rupem firmissimam. habeat igitur eorum, quæ postulent, rationem, & cogitet, posse fieri, nisi prouideat, vt aliæ rationes ineantur atque consilia, causſam hanc expediendi. Quod supereſt, orare, vt hæc boni consulat. Nam vt ita scribant, & officio, & temporis conditione sese cogi.

VII Respondit iis Pontifex Kalend. Ianuarii an. MDXLVIII, *ipsorum laudata pietate*, quod de republica solliciti sint in his hæreticorum, & seditioſorum hominum motibus; *causſam* ait *subesse grauem, atque legitimam. Nam & se vehementer angi sollicitudine ista: & quoniam hoc ad suum pastorale munus proprie pertineat, nullum sibi tempus abire, quo non de remedio cogitet: hac etiam de causſa, statim a susceptο Pontificatu decurrisse ad illud, cuius & ipsi mentionem faciant, perfugium, & sua sponte concilium indixisse, Mantuæ primum, deinde Vicentiæ: sed cum id frustra fieret, Tridentum ad eam rem delegisse, oppidum in ipsis Germaniæ finibus positum, quo sine periculo veniri posset: (cumque sub illud tempus bellum exortum impediret aditum, se, qui legatos eo misisset, necessario distulisse rem in aliud tempus, ac deinde facta pace rursus denuntiasse conuentum, dimissis in omnes partes litteris, & tandem de Tridento ipsis annuit,)*

VIII Interea *Cæsar* (ait idem auctor lib. XX*) *in Saxoniam profectus, hostem ad Albim superat, vtrumque belli Ducem prælio, & deditione capit, & nihilominus ante, & post confectum bellum, sæpe per litteras, & internuntios Pontificem rogauit, iuberet Patres Bononia redire Tridentum: esse enim magni periculi, si secus fieret. Postea conuentum indixit Augustæ, in quo, petente Cæsare, Principes omnes, ac Ordines magno consensu, concilium Tridentinum approbarunt, eique se velle parere sine vlla conditione, promiserunt. Cum id obtinuisset, Cardinalem Tridentinum ilico Romam misit, qui Pontifici, & Senatui Cardinalium ista explicaret, ac totius imperii nomine Concilii Tridentini continuationem flagitaret.* Atque hoc anno MDXLVIII, in hisce Augustanis comitiis, tractata diligenter, quæ ad Spirensis tribunalis, quod valde oderant, & impetebant nouarum rerum cupidi, auctoritatem, & ordinem, præcipue vero ad religionis auitæ conseruationem, Germaniæque tranquillitatem spectarent, vt indicant, quæ in manibus sunt, Acta comitialia.

* *immo eodem lib. XIX p. m. 559.*

IX In his autem omnibus, vti loco, & dignitate, ita etiam industria, sapientia, & zelo principem facile locum tenuit noster Sebastianus: multamque curam, & sollicitudinem adhibuit, vt dum œcumenica synodus de iis, quæ in controuersiam a Nouatoribus vocata essent, sciscceret, prouiderent suis in diœcesibus Episcopi, ne quid caperet detrimenti Catholica religio, synodosque huic fini cogerent. Collecta etiam per nominatum supra D. Suffraganeum Mogunti-

* l. Iul. num, & Reuerendiſſimum Naumburgicum Epiſcopum D. * *Io. Pflugium*, *Ioannem*que *Agricolam*, qui Lutheri dogmatibus nuntium pridem remiſerat; itemque per nonnullos a Nouatoribus ipſis additos, *Melanchthonem*, & *Brentium*, earundem rerum breuis quædam inſtructio, quæ, quia interim, dum ſententiam pronuntiaret ſynodus, obſeruari debebat, vocata eſt vulgo *Interim*, ab aliis *Interreligio*, quæ paſſim edita extat, etiam in Suriano Conciliorum tom. III anno MDLI. Edit. I pag.

Auguſtanis comitiis intereſt.

1) Victo ſcilicet ad Mühlbergam Saxone, & Landgrauio poſt Halis fraude retento & in cuſtodiam dato (quod auctor ordine inuerſo § VIII demum innuit) habita fuere Auguſtæ Comitia, quæ Cæſar III Iulii die Principibus indixerat. Inter Proceres vero, quos magna frequentia ad ea veniſſe, auctor dicit, fuit Sebaſtianus, ſplendidiſſimo comitatu (quem *Mameranus* nobis in catalogo famil. totius aulæ Cæſar. in Comitiis Auguſtan. deſcribit) ſtipatus Auguſtam ingreſſus eſt; quod ad § V notandum. Et *Michaelem* quidem *Sidonium*, clariſſimi tum nominis virum, quem Cæſar muneri in ædium primaria publice docendi præfecit (*Sleidanus* lib. XIX p. 545) alios inter habuit comitem.

Concilium Tridentinum vrget.

2) Dedit autem non ſolum illas, vna cum aliis, ad Pontificem litteras, de quibus auctor § VI, verum etiam, qua erga Sedem Romanam fide erat ac obſeruantia, non ſecus, ac duo reliqui ordinis eccleſiaſtici Electores, concilium Tridentinum ſine vlla conditione vrſit. Idem *Sleidanus* l. d. p. 549.

Ceterum verba § VII, quæ vncinis incluſimus, nec Pauli Pontificis ſunt in ſuis ad Epiſcopos reſponſoriis, nec a *Sleidano*, quem alioquin auctor hic ſequitur & exſcribit, l. d. referuntur, nec cum ceteris Papæ in eisdem conſiſtere poſſunt. Auctori igitur, qui ea de ſuo aſſiuit, relinquenda.

Mauricii intereſt in-

3) Hæc inter orbi illuxerat annus MDXLVIII; quo quidem Sebaſtianus, cum Cæſar Mauricio, Saxoniæ Duci, die XXIV Februar. dignitatem conferret Septemuiralem, ſollemni cæremoniæ non modo interfuit, verum etiam eidem, honores iſtos petenti, Carolo innuente, & reſpondit, & iusiurandum, quo Septemuiri tenentur, recitauit. *Sleidanus* l. d. p. 577. *ueſtitura*

4) Et quamuis animaduerſionibus Pontificis in librum *Interim*, interea Auguſtæ conſarcinatum, vna cum Treuirenſi & Colonienſi, ſubſcriberet, bonorumque in primis ſacrorum vrgeret reſtitutionem: poſt tamen, cum Cæſar illum publice prælegi curaſſet, gratias ipſi egit, *non exquiſitis Ordinum*, vt *Sleidanus* l. d. p. 581 docet, *ſententiis*; *& quoniam antehac ipſius fidei rem permiſerint, ac nunc in eo ſit elaboratum, æquum eſſe* dixit, *vt gratiſſimis animis hoc ipſum agnoſcant, & decreto pareant.* Quam *gratiarum actionem Cæſar pro communi habuit aſſenſu & approbatione, nec vllam poſt excuſationem admiſit.* *de libro Interim Cæſari agit gratias.*

Fallitur autem auctor, dum § IX *Melanchthonem* & *Brentium* auctoribus libri *Interim* adiunctos narrat. Tantum enim abeſt, vt *Brentius* ſocias ipſis iunxerit operas, vt potius σύγγραμμα iſtud μιταξυκὸν voce iuxta ſcriptoque impugnaret. *Sleidanus* lib. XX p. 582, *Adami* in vit. Theologor. p. m. 213, *Fiſchlinus* memor. Theologorum Wirtembergenſ. parte I p. 26. Quod ad *Melanchthonem*, nec is manum operi admouit.

X Vltima die Iunii Comitiorum finis fuit, & Moguntiam reuertit Sebaſtianus, vbi, vt ait MS. L. *optimi Paſtoris partes obiens, cunctos ſuæ diœceſis ſubditos, per litteras, legationes, ac viſitationes, ad Catholicam religionem inuitare, ac impellere non deſtitit.* Quod inuitus ſcribit etiam lib. XXI his verbis hæreticus *Io. Sleidanus: Moguntini ditio longiſſime patet. Nam XII ei ſubſunt Epiſcopi, & Heſſia quoque fere tota ad ipſius iuriſdictionem eccleſiaſticam pertinet. Cœpit igitur vrgere* &c. Rurſumque paullo poſt: *Francofurtum quoque Moguntinus vicarium ſuum Epiſcopum Michaëlem Sidonium miſit. Is expiatis primum ibi templis, more ſuo concionatur atque docet.* p. 602 903

parœcias & monaſteria diœceſis ſuæ interuiſi curat.

Quin, cum probe noſſet, ſui eſſe muneris, vt prolapſus paſſim vitæ monaſticæ ſtatus emendaretur, clerusque omnis ad auitæ diſciplinæ reduceretur frugem, his ipſis diebus viros delegit munerum, vitæ, morumque honeſtate venerandos, *Michaelem Helding*, Epiſcopum Sidonium, *Arnoldum* de *Bucholtz*, ad ædem maiorem Scholaſticum, *Balthaſarem Geyer*, ſuum in eccleſiaſticis Vicarium, *Iodocum Selbach*, Decanum ad D. Petri, Protonotarium, *Antonium VViedmeyer*, Decanum ad gradus, *Dietericum* de *Rheden*, Erfurti ad D. Seueri Præpoſitum, Moguntiæ vero ad gradus Scholaſticum, & *Gerhardum Iſing*, ad D. Ioannis Decanum: quibus tabulis V Non. Octobr. ſignatis commiſit, vt parœcias, monaſticasque vtriusque ſexus congregationes intertuiſerent, ac in cleri, omniumque ac ſingulorum in cœnobiis agentium vitam, moresque omni fide inquirerent & diligentia. quod muneris illi dein die Octobris XXII, præuio ſollemni Miſſæ, *de Spiritu Sancto* in æde D. Petri officio, ſtudioſe aggreſſi ſunt.

Synodum diœceſianã agit.

XI Habuit idem Sebaſtianus eodem anno *diœceſanam Synodum*, cuius in citanda paullo poſt præfatione iniicietur mentio: *prouincialem* vero anno ſecuto, qui ſupra ſeſquimilleſimum erat vndequinquageſimus die VI Maii, prout lib. I

cap.

Edit. I pag. cap. XXXIII notatum iam fuit. Eius autem præfatio lectu digniſſima eſt. Nam & quid paſtoralis officii ſit, & quantum in hac tanta temporum calamitate ſtudii, laborisque ſumpſerit, luculente docet. *Poſteaquam*, inquit, *graue illud paſtoralis muneris onus humeris noſtris (Domino ſic diſponente) incubuiſſet, ſane nunquam quaſi in dignitatis & honorum faſtigio ſublimati, lætari potuimus, ſed quaſi in quadam ſpecula poſiti, ingentem & anxiam ſollicitudinem animo concepimus, & quaſi importabile onus humeris ſuſtinentes, ad omnem ſuſcepti muneris recordationem frequenter ingemuimus. Non enim ignorabamus depoſitum, quod tradente, & commendante CHRISTO ſuſcepimus, quanta in illo aſſeruando cura, ſollicitudine, & labore nos deſudare oporteat: quantave pœna nos maneat, & quam terribilis nos Domini ſententia exſpectet, ſi quicquam de theſauro illo, quem CHRISTVS, velut ſedulus & prudens negotiator, pretio ſanguinis ſui comparandum duxit, noſtra forte incuria perire contigerit. Accedebat ad cumulum ſollicitudinis noſtræ, & timoris noſtri pondus in immenſum augebat, quod functionem noſtram paſtoralem in eam videbamus tempeſtatem incidiſſe, qua tot ſectæ, ſchiſmata, & omnes pæne præteritorum tem-*
904 *porum hæreſes, velut conſpiratione facta, agminatim in eccleſiam irruerant, & diſperſum CHRISTI gregem immanes lupi ad interitum rapiebant: & qua, vniuerſa vitiorum corruptela, & grauiſſimorum ſcelerum lues, ouile CHRISTI quaſi contagione perſerpens, ouiculas CHRISTI ſanguine redemptas, crudelem in modum depaſcebatur. Atque hac temporum iniquitate nobis nequaquam deſidiæ patrocinium, aut negligentiæ excuſationem, præberi exiſtimabamus: ſed curam, & ſollicitudinem noſtram potius augeri, vt quanto grauioribus malis laborantem eccleſiam conſpiciebamus, tanto attentiore animo, & ſtudio vigilantiore in eam; quam Dominus nobis impoſuerat, paſtoralis officii functionem incumberemus, & gregi nobis credito cuſtodiam ſimul & diſciplinam ſedulo adhiberemus: cuſtodiam quidem, vt ex commonitione noſtra cauere noxia, & ſalutaria appetere, peccata refugere, & virtutes ſectari, plebs nobis commiſſa ſedulo addiſceret; diſciplinam vero, vt qui ſpretis ſalutaribus monitis, aut torpentes negligentia, aut malitia incitati, delinquerent, per nos a vitiis ſuis, eccleſiaſticæ cenſuræ ſeueritate coercerentur. Siquidem memineramus, hanc vtramque curam a DEO ouilis ſui cuſtodibus, ſub graui comminatione iniungi. Cuſtodiam quidem, cum ait:* Si ſpeculator viderit gladium venientem, & non inſo- *Ezech.33.6*
nuerit buccina, & populus ſe non cuſtodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate ſua captus eſt, ſanguinem autem eius de manu ſpeculatoris requiram. *Seueritatem vero diſciplinæ Dominus a paſtoribus exigens:* Non quæras, *inquit*, fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere *Eccl. 7, 6*
iniquitates: *nimirum innuens, graui culpæ alligari eum, qui vitia ſubditorum, quæ pro poteſtate ſibi tradita compeſcendo emendare debet, diſſimulando nutrit, & auget. Et alibi Dominus paſtorum negligentiam ſeueriſſimis minis increpans:* Ecce ego ipſe, *inquit*, ſuper paſtores, gregem meum de manu eorum requi- *Ez. 34, 10*
ram. *His nos Domini comminationibus incitati, iam inde ab initio ordinationis*
905 *noſtræ, propenſa voluntate ad debitam commiſſæ nobis functionis executionem, omnem animi & conſilii vim conuertebamus. Sed pios conatus noſtros inquietudo temporis illius impediebat, dum tumultibus, & bellis feruerent omnia, ac plane appareret, ſæculum noſtrum iam nec vitia ſua ferre poſſe, nec remedia pati velle. Et iam nihil aliud, quam grauem eccleſiarum ruinam, & de proximo imminentem religionis noſtræ interitum oculis præuidebamus, niſi Deus pro immenſa ſua miſericordia miſeratus, eccleſiam ſuam tot malis grauiſſime afflictam, & ſub tantarum calamitatum onere iam iam ruituram, inuictiſſimi, & potentiſſimi Principis Caroli V, pientiſſimi & vere Catholici Imperatoris, armis texiſſet, & a caſu præſeruatam, pia eiuſdem Imperatoris ſollicitudine, ad priſtinæ ſecuritatis recuperandæ ſpem erexiſſet. Cum igitur ſingulari Dei gratia, & miſericordia, & Chriſtianiſſimi, ac potentiſſimi Imperatoris beneficio, hæc quies eccleſiis reddita eſſet, vt iam de rebus religionis conſilia tuto capere liceret: Nos tantam opportunitatem, quam nobis diuinitus concedi diu deſiderauimus, nequaquam negligendam rati, omnes animi & conſilii conatus ad eccleſiarum nobis ſubiectarum diſciplinam rite conſtituendam, & ad plebis commiſſæ ſalutem*

promouendam, adeoque ad totius paſtoralis muneris noſtri functionem pro viri- Edit. I
li exequendam applicuimus. Et veterem eccleſiæ conſuetudinem inſequentes, pag.
quam Apoſtoli nobis reliquerunt, & ſancti Patres quaſi per manus traditam ſe-
dulo retinuerunt, vt quoties in fide Chriſtiana dubiæ quæſtiones orirentur, aut
alio quo ancipiti malo eccleſia periclitaretur, mox ſynodum conuocarent, & du-
bias quæſtiones ex ſcripturis ſanctis, iuxta communem ſanctorum Patrum con-
ſenſum, & receptam eccleſiæ auctoritatem dirimerent, & ſuborientibus difficul-
tatibus, & periculis collato inter ſe conſilio, matura & ſalutaria remedia adhi-
berent: Nos quoque poſt celebratam a nobis ſynodum diœceſianam, præſentibus 906
malis etiam amplioris conſilii remedia credentes quærenda, iuxta canonum ſa-
crorum ſanctiones Prouinciale concilium duximus congregandum. Itaque com-
prouinciales noſtros amicos chariſſimos, & dilectos in Chriſto reuerendos Coepiſco-
pos ad diem ſextum Maii in ciuitatem noſtram Moguntiam euocauimus. Extat vero variis formis edita hæc ſynodus, cui & pro inſigni cura inſignem de omnibus pæne fidei capitibus catecheſin addidit.

ad quam Miniſtros A.C. Erfurto &c. etiam euocat.

Synodum, de qua auctor, *diœceſanam* habuit, vt ad formulam a Cæſare præſcriptam eccleſias emendaret. nam hoc ei promiſerat. *Sleidanus* lib. XXI p. 602. Habuit autem menſe Nouembri; ad eamque eccleſiarum A.C. addictarum miniſtros Erfurto, Iſenaco, Crucisburgo, Waltershuſa &c. etiam euocauit: quorum tamen nullus compariit. Vt dictis fides ſit, afferre placet Erfurtenſium litteras, quas in lucem protulit *Cyprianus* in præfat. ad Supplementa reliqua hiſtoriæ Gothanæ.

Reuerendiſſime Archiepiſcope, idemque Princeps &c. Domine clementiſſime.

Oblatæ nobis ſunt R. D. V. litteræ euocatoriæ ad ſynodum dioceſanam in ciuitate R. D. V. Moguntina XIX Nouembr. indictam, ad quam cum intellexerimus euocatos etiam eſſe Paſtores vicinia huius ſub ditione Illuſtriſſimorum Saxoniæ Principum, ſed accedere propter certas & graues quasdam cauſas, ad R. D. V. perſcriptas, non poſſe, nosque illis in doctrinæ Chriſti confeſſione, quam eandem cum illis profitemur, coniuncti ſimus: Oramus obnixe, vt R. D. V. quod propter easdem cauſas ad indictam ſynodum accedere non poſſumus, excuſatos nos quoque habere velit. Offerimus autem nos, ſicut & illi ſeſe obtulerunt, ad omnia, quæ ad eccleſiæ & reipublicæ piam pacem & tranquillitatem ſine Dei & conſcientiarum noſtrarum offenſione, pro viribus & facultatibus noſtris præſtare debemus ac poſſumus; petimusque humiliter, vt R. D. V. excuſationem noſtram, vna cum officiorum debitorum delatione, clementer a nobis accipiat: cuius gubernationem tam eccleſiaſticam, quam politicam vt Deus ipſe regat, atque ſortunet, ſedulo orabimus. Datæ Erphurdiæ X Nouembris MDXLVIII.

R. D. V.

ddi

Concionatores Euangelii Chriſti in vrbe & eccleſia Erphurdiana.

agit ibi prouincialem.

Prouincialem egit anno ſequenti MDXLIX, initio Maii, vt in diſſertatione *de Conciliis Moguntinis* fuſius dictum. Conf. *Sleidanus* l. d. p. 608.

Formulam Pontificis Landgrauianis, aliisque commendat.

XII Eodem anno cum a Pontifice Legatos, qui ampliſſima illos, qui ab votis, monaſteriis, eccleſiaque tota diſceſſiſſent, in gratiam cum hac reponendi poteſtate aucti eſſent, accepiſſet Cæſar, deque beneficio tanto Germanos Epiſcopos e Belgio monuiſſet, ilico Moguntinus noſter cum ad alios, tum ad Landgrauianos Præfectos, & Conſiliarios dat litteras, & de ſua ſollicitudine paſtorali, deque Cæſaris fide & diligentia multa locutus, petit, vt eccleſiæ miniſtris formulam iſtam, a Pontifice miſſam, exhibeant, eique iubeant parere.

Quin, haud ſecus ac Cæſar ipſe, inſtitit, vt Principes iuniores Saxoniæ libellum religionis vſque ad concilium generale tenendæ, *Interimiſtica* vulgo, capita complexum, reciperent. *Paullini* annalium Iſenacenſ. § CLV p. 151; quamuis incaſſum laborarit.

Auguſtanis rurſum interest Comitiis. quid in iis actum.

XIII Rurſum vero conuentum Imperii Ordinum haberi Auguſtæ anno MDL, ad XXV Iunii voluit Imperator, ad quem vna cum filio Philippo Bruxella diſceſſit Maio vertente, ducto ſecum Saxoniæ Duce captiuo, Landgrauio autem relicto Mechliniæ. Affuit Sebaſtianus. Actum de cœpto Tridentino concilio proſequendo, de ſeruando religionis decreto nuper Auguſtæ facto, de iuriſdictionis eccleſiaſticæ, bonorumque ſacrorum a Nouatoribus occupatorum, & direptorum reſtitutione. Vnus interceſſit Ducis Mauricii legatus: cuius tamen oratio, velut indigna, ne in Acta referretur, vetuiſſe Imperii Archicancellarius *lib. 22 p. 630* Sebaſtianus ab citato antea ſcriptore traditur. Multis, quæ ad religionem ſanciendam facerent, decretis, Idibus Februarii anno MDLI dimiſſus eſt Imperii conuentus.

Sebaſti-

cum Electoribus Rhenanis conuentū agit.

Sebastianus, domum reuertens, ex itinere circa Paschatos festum inuisit Heidelbergæ Fridericum: & non longe post, medio Aprili, Vesaliam superiorem concessit, vbi quatuor Rhenani Electores conuentum agere constituerant, & per quinque dies ibi commoratus, summa se cum illis concordia iunxit. *Leodius* lib. XIII de vita Friderici II El. Palat. p. m. 270.

Tridentum proficiscitur ad concilii.

XIV Ipsa vero æstate, vt ad Tridentinum proficisceretur Concilium, quod Maii Calendis, eodem anno Pontifice Iulio III continuari cœptum, sese comparauit Archiepiscopus, iterque ingressus, Calendis Septembribus, in quas progredientis Concilii consessus alter dilatus fuerat, præsto Tridenti fuit cum Treuirensi *Ioanne Isenburgico*, magna omnium lætitia, & gratulatione, quod spem magnam conciperent omnes, fore, vt tantis e Germania Præsulibus, & Principibus præsentibus & quæ Germaniæ sanandæ nossent accommodatissima disserentibus, diuulsi, distractique in sectas nouas Germani redintegrarentur, & omnibus ecclesiæ morbis salutaria maxime remedia iam adhiberentur.

Edit. I pag. 907

Sleidanus lib. XXII p. 655, *Sarpius* lib. IV p. 334, *Pallauicinus* lib. XI cap. XV § V p. 87; qui in margine e diario notat, die XVIII & XX Augusti eos Tridentum venisse. Kalendis igitur Septembribus primum interfuere sollemni consessui. Colonienſis post accessit d. XI Octobris. *Pallauicinus* l. d. lib. XII cap. IX § I p. 112.

XV Sunt hæc omnia perspicua ex ea, quæ iisdem Calendis illic, nomine Reuerendissimorum Concilii Præsidum, recitata fuit, oratione, cuius principium est eiusmodi: *Cum post restitutam huc synodum, Patres Amplissimi, recens isque peropportunus, ac nobis optatissimus duorum clarissimorum Germaniæ Præsulum, & eorundem sacri Romani Imperii Principum Electorum, aduentus magnam spem attulerit nobis, fore, vt non solum multi eiusdem nationis Episcopi, illorum exemplo excitati, verum etiam alii quamplurimi variis ex locis propediem huc adsint, atque ita sacrum Concilium ad Dei omnipotentis honorem prosequi, & peragere liceat: Nunc denique nostras esse partes duximus pro loco atque persona, quam sustinemus, vt in principio, & tanquam in limine actionum nostrarum, pauca verba vestri simul, & nostri hortandi, atque admonendi caussa faciamus.* In huius autem hortationis progressu, additur: *Profecto cuius impulsu, atque auxilio opus iam institutum, & cœptum est, eodem quoque vires subministrante, & nobiscum simul operante, absoluetur. Non est abbreuiata manus Domini vt ecclesiæ suæ opitulari non possit: neque minuta clementia, vt nolit. Cuius quidem propitiæ voluntatis erga nos, cum alia multa, tum hoc nos minimum testimonium habemus, quod hos duos Germaniæ Præsules, auctoritate, prudentia, pietate præstantissimos in eam mentem impulit, vt tam opportuno tempore, multis, & magnis, quibus impediebantur, difficultatibus consilio & virtute superatis, ad hanc sacrosanctam synodum accederent.* Rursumque postea in ipso prorogationis decreto: *De venerabilium in CHRISTO fratrum, & filiorum suorum, Maguntini, & Treuerensis Archiepiscoporum, ac sacri Rom. Imperii Principum Electorum, & complurium ipsius, aliarumque*
908 *prouinciarum Episcoporum sub hanc ipsam diem aduentu in Domino exultans, & dignas ipsi omnipotenti DEO agens gratias, firmamque spem concipiens, quamplurimos tam ipsius Germaniæ, quam aliarum nationum Prælatos, & sui officii debito, & hoc exemplo commotos propediem esse venturos, futuram sessionem ad quadragesimam diem, quæ erit XI mensis Octobris proxime sequentis, indicit,* videlicet synodus.

Isa. 59. 1

Sessionis XIII

XVI Cum vero dies Octobris vndecimus venisset, factus est consessus, qui Concilii sessio XIII nominatur: in eoque de sanctissimo præsertim Eucharistiæ sacramento diligenter actum: publicaque simul fide Protestantibus omnibus, qui ad Concilium accedere, in eo dogmata sua proponere, confirmare, ac propugnare vellent, de tuto itu, redituque cautum, ea formula, quæ in ipso Tridentino typis vulgata legitur, cum Patrum subscriptione, præsertim Archiepiscopi nostri Moguntini, Treuerici, & Colonienſis *Adolphi Schawvenburgici*, qui & ipse priores non ita multo post secutus, Tridentum aduenerat. Die autem Nouembris XXV sessio fuit XIV, in eaque de sanctissimis Pœnitentiæ, & extremæ Vnctionis sacramentis doctrina similiter definita. Expectabantur interea semper, qui iamiam se venturos spargebant, Protestantium Theologi, cum paucuIi quidam tantummodo a Principibus legati venissent, qui cras & cras venturos Theologos dicebant.

& XIV actâ.

XVII Abiit

inter quæ infesti rumores Tridentum allati.

XVII Abiit annus MDLI, & iniit nouus MDLII, magnique subito, de bello, quod in Cæsarem, & Catholicos clam appararent Dux *Mauricius*, & Brandenburgicus *Albertus*, rumores Tridenti extiterunt: nec sane vani. Nam suorum litteris certior factus est Moguntinus noster, Magdeburgum solutum obsidione die III Nouembris: milites exauctoratos die VIII, sed eos tam, qui pro Cæsare vrbem oppugnarant, quam qui defenderant, retentos, taciteque a Mauricio, sed obducto Megelburgici nomine conductos. Ii per Thuringiam, & loca vicina hiemare iussi, damni plurimum dabant cum ecclesiasticis aliis, tum vero potissimum Moguntino, quod huius ad loca illa limes pertineat *. Magnam ea subditorum oppressio molestiam bono Principi afferebat. Metuebant alii etiam duo Electores, ne ad suos quoque fines mali huius contagio serperet. Die igitur XXI Decemb. litteras ad Imperatorem dederunt, vt sibi, bona eius venia, Tridento excedere liceret, gliscentibusque domi malis opem ferre. Cum vero, pro zelo, curaque Imperatore tanto dignissima, cuperet admodum Cæsar, non interrumpi Concilium, iis respondit die III Ianuarii, non existimare se, tam esse perfidum, datique sibi sacramenti oblitum *Mauricium*, vt hostile quidquam meditetur: curaturum se, vt ille in hibernis miles absque vlla ipsorum noxa exauctoretur, ac dimittatur.

Edit. I pag. 909

Mauricianorum in locis Moguntinis intemperies.

* Ita *Sleidanus*, quem auctor sequitur, strictim, breuiterque lib. XXIII p. 676. Curatius paullo illius ætatis *manuscr.* germanicus: » Passim prædas agebant, inopema fflictamque multitudinem, nulla sexus ratione habita, fœdissime, crudelissimeque vexabant, » templa depeculabantur, sacras hostias in » terram effusas pedibus conculcabant, & » postquam omnem late viciniam innumeris » fere iniuriis exagitauerant, in Eichsfeldiam illati incolis graue sex millium aureorum tributum imperabant. Sollicitos habebat vis hæc Locumtenentem Moguntinum & Consiliarios, maxime cum relatum esset, Hassos quoque sinistra agitare consilia, atque bellum quam diligentissime instruere. Quare haud cunctati, ad omnem casum tres peditum cohortes conscripserunt, simulque prouinciæ Moguntinæ beneficiarios ad arma vocarunt. quos tamen, cum Cæsar promisisset, Electorem se contra quamcunque vim defensurum, postea a signis dimisere ». Hæc ille, ex germanico in latinum a nobis conuersa. Litteras Imperatoris, de quibus dictum, habet *Sleidanus* l. d. p. 676 & seq. ac, quæ § sequenti auctor dicit, paginis sequentibus plenius refert & explicat.

Sessionis XV acta.

XVIII Manserunt Archiepiscopi, adfuitque præfinitus XV sessioni dies, XXV Ianuarii: nouaque Protestantium quorundam præsentibus legatis data fidei publicæ cautio, & quidem eo modo, & ratione, quæcunque potuit excogitari optima, & certissima, vt suos tandem aliquando Theologos venire facerent: in eorumque gratiam, quæ definiendæ pridem fuerant, de Sacramento sub vna specie sumendo, de eodem infantibus dando, & similibus, disputationes prorogatæ in Martii diem XIX.

Mauricio, fœderatisq; palam bellum mouentibus,

XIX At pro Theologis certi de aperta iam Protestantium vi, & bello nuntii comparuerunt. Nam belli huius, quod tanto iam tempore omni artificio texerant, palam signa tollere cœperunt *Mauricius*, *Albertus* Brandenburgicus, *Guilelmus* capti Landgrauii filius, & alii. Franciæ sibi Regem *Franciscum* *, vt Germanicæ libertatis vindex vocaretur, certo fœdere coniunxerant: isque magnis cum copiis in Germaniam tendebat: hi vero Catholicorum agros passim vastabant, Imperiales vrbes capiebant, omnia denique omni terrore complebant, Tridentumque versus ad Alpes properabant. His rebus cognitis, cum crebri superuenirent alii post alios nuntii, neque iam vlla resideret amplius dubitatio, Moguntinus noster, & Coloniensis, ad quem ex inferiore Germania multum erat nuper aduectum alimoniæ, magna celeritate comparatis equis, vndecima die Martii, prima luce discedunt, cum Legatus Pontificius, reliquis comitatus Episcopis, Italis & Hispanis, pridie, salutandi caussa, sub vesperum ad ipsos venisset.

* l. Henricum II

Sebastianus Tridento abit.

Concilium interrumpitur.

XX Cum vero maiora indies Tridentinis Patribus pericula intentarentur, tantisper interrumpi Concilium necesse fuit, quoad post hasce tumultuum tenebras, noua aliqua lux exoriretur: eiusque intermissionis decretum die XXVIII Aprilis in sessione XVI sollemni ritu palam expositum, in quo inter alia, hæc: *Cum ipsa sancta Synodus omnia, & præcipue Germaniam, armis ardere, & discordiis videret, omnes fere Episcopos Germanos, præsertim Principes Electores,*

Edit. I pag. 907 *ctores, ſuis conſultum eccleſiis, e concilio abiiſſe, decreuit tantæ neceſſitati non reluctari, & ad meliora tempora reiicere, vt Patres, quod eis nunc agere non licet, ſuis ouibus proſpectum ad ſuas eccleſias regredi valerent, ne diutius vtrobique inutili otio conterantur.*

Haſſus propoſitum ſuum Moguntinis ſignificat.

Scilicet, poſtquam III Februarii die Galliarum Rex editis litteris ſe libertatis Germaniæ & Principum captiuorum vindicem profeſſus eſſet, ac exercitum in Germaniæ fines eduxiſſet, *Guilielmus*, Landgrauii filius, aliis, quæ ipſis Kalend. Mart. datæ erant, Conſiliariis Moguntinis denuntiabat, decreuiſſe ſe, aliosque fœdere ſibi iunctos, liberandi patris cauſſa, rem, cum aliter non poſſint, armis tentare. Qui ſuum hoc inſtitutum haud impediant, eos amicorum numero ſe habituros, & ab omni incommodo, detrimento, moleſtiaque ſinceros, integrosque conſeruaturos. Qua igitur ſint mente, ſine ambagibus, plane ſimpliciterque profiteantur, & ſi conſiliis his ac conatibus nullam moram iniicere cogitent, ſuper eo recte ſibi ſociisque caueant. Sin, vires dimetiantur ſuas, ſecumque perpendant, quantum Hero allaturi ſint diſpendii. Se, quicquid reſponderint, fœderatis ſine cunctatione ſignificaturum.

Hæc inter item machinas, quæ Ameneburgi erant, bellicas ſuos in vſus ſibi commodari petebat; pollicitus, ſi haud repulſus abiret, ſe tempeſtate hac Archiepiſcopatus terris nulla alia re grauem futurum, vel detrimenti quid importaturum.

Illis ſubnegantibus, ipſe, cum non longe poſt delectus ageret ac in expeditionem iret, præfecturis Ameneburgenſi, Fritislarienſi, & Neoſtadienſi quammaxime moleſtus erat; quin machinarum nonnullas armata manu diripi iubebat atque abduci.

quod ipſos reddit admodum ſollicitos.

Quæ quidem res Conſiliarios mouit, vt denuo aliquot peditum cohortes ſtipendio conducerent, quibus tamen mox paullo ſimiliter, vt antea, dedere miſſionem. Videbant enim, tum exigua manu ſe ſolos non eſſe reſiſtendo: tum vero animo ſecum reputabant, cauſſæ communi non plane nil allatum iri cum præiudicii, tum incommodi, ſi forte ad eam ſubigerentur neceſſitatem, vt hoſtis eos arbitrio oporteret relinquere; quod facile coniiciebant futurum, ni tempeſtiue eos dimitterent. Sacramento ſolutos *Conradus Hanſteinius*, qui Francofurti pro Cæſare curabat, ſua ſub ſigna cogebat, ac ibidem collocabat in præſidiis. Quod poſtea terris Moguntinis male admodum vertit.

Sebaſtianus in reditu

His vero cognitis Sebaſtianus, die quem auctor dixit, Tridento abiit. *Sleidanus* l. d. p. 686, *Sarpius* lib. V p. 420, *Pallauicinus* lib. XIII cap. II § VI p. 139. Cum Oeniponti appropinquaſſet, exceptus honorifice fuit ab iis, quos Cæſar obuiam miſerat; in quibus Epiſcopus Atrebatenſis. Cum Imperatore dein diu multumque collocutus, iter proſecutus eſt. nam celeritatem res poſcebat. *Sleidanus* l. d. *Sarpius* l.d. De via vero, die XXVIII Martii Heidelbergæ Fridericum ſalutauit Electorem, vt de ſtatu rerum præſenti eocum conſultaret. *Leodius* l. d. lib. XIV p. m. 280.

tum Cæſare loquitur,

& Palatino.

XXI Plurima vero, grauiſſimaque multis illata damna. Multæ vrbes captæ, aut inſigniter exagitatæ, præſertim Norimberga, Wormatia, Spira, Treuiri, Francofurtum. Multi eccleſiaſtici, non minorum tantum ordinum, ſed Epiſcopi etiam Spirenſis, Wormatienſis, Treuirenſis, Wirceburgicus, Bambergenſis, Wolfgangus ſummus Teutonici ordinis Magiſter, ac Moguntinus Archiepiſcopus iniquiſſime diuexati. Nam Tridento reuerſus huc Sebaſtianus, ilico ſuos ad arma ciues vocare, ſtipendio milites conſcribere, Moguntiam, & maxime S. Iacobi cœnobium munire. Sed cum omnium quaſi deſperatione fractos, languentesque animos, nonnullos etiam ad nouas ſpes, nouasque opiniones penitus ferri, vicinos opis nihil oſtentare ſentiret, pecunia cum furente ac dira omnia minitante *Alberto* Brandenburgico tranſigere annixus eſt. Sed ſumma exigebatur intolerabilis. Furori ergo tantiſper cedendum putauit: maiora, ne hoſti prodeſſent, in Rhenum tormenta demerſit; omnes, quo poſſent modo, vitæ, fortunisque ſuis conſulere monuit, & die V Iulii Moguntia diſceſſit: Argentinam die XXV venit: nec plus noctem vnam ibi moratus, trans Rhenum ſe in Briſgoiam contulit. Obſeſſum vero fuit a Mauricio Francofurtum (in quo Cæſaris præſidium, XVII ſigna peditum, equites ad mille) a Iulii die XVII, vſque ad menſis eiuſdem vltimum, quo cum Cæſare in gratiam rediit *Mauricius*, cum ab illo pacem illam, quæ *Paſſauienſis* dicitur, armatus extorſiſſet.

redux Sebaſtianus Moguntiam firmius munit

1) Iuuabit, quæ tum rerum Moguntinarum fuerit facies, paullo plenius enarrare, curatiusque. Sebaſtianus ſcilicet domum redux id primum ſibi curæ habuit, vt firmioribus Moguntiam complecteretur munimentis, ac ad omnem ſe caſum compararet, quod vel ipſe auctor iam retulit.

Vormatiam

2) Acceptis inde ab *Henrico* Galliarum Re-

ad Principes euocato ſe confert.

ge, quas in codice Diplomatico attuli, litteris, eiusque legato *Chriſtophoro Richerio*, die XXVIII Aprilis audito, contulit ſe Vormatiam. Eo namque Principes euocarat vicinos. e quibus Treuirenſis, Palatinus, Iuliacenſis, & Wirtembergenſis ipſi aduenere: Colonienſis vero & Herbipolenſis miſere legatos. Cum inter ſe contuliſſent conſilia, ac quid præſenti

cum iis Legatos ad Regem Gallia mittit,

rerum ſtatui expediret, expendiſſent, placuit legatos mittere Weiſſenburgum, quo Rex cum exercitu iam appulerat, bellum & inimicitias deprecaturos. Fuere ii ex parte Sebaſtiani, *Philippus*, Comes Naſſouius, *Conradus* de *Hatſtein*, & *Chriſtophorus Matthiæ*, Cancellarius; ex parte Treuirenſis, *Ioannes Henricus*, Comes Leiningenſis, & *Cuno* de *Metzenhauſen*; ex parte Colonienſis, *VVilhelmus* de *Breitbach*, & *Ioannes Rickvvein*, Iur. Licent. ex parte Palatini, *Franciſcus*, Comes Silueſtris & Rheni, *Ludouicus*, Comes Lôwenſteinenſis, & *Iohannes* de *Dienheim*; ex parte Iuliacenſis, *VVilhelmus Ketler*, *VVilhelmus Ley*, aulæ Magiſter, & *Alexander* de *Drenckborn*; ex parte Wirtembergenſis, *VVolfgangus*, Comes Lôwenſteinenſis, & *Ioannes Henricus Höcklein* de *Steinach*. Admiſſi rogabant, abſtineret Rex ab agrorum vaſtatione; parceret promiſcuæ multitudini; longius in terras Imperii ne procederet; ad pacis conſilia adiiceret animum; Herbipolitani Epiſcopi patronum ageret apud Brandenburgicum, illique mitiora impetraret. Verba faciebat Cancellarius, quem dixi, Moguntinus. Conf. *Sleidanus* lib. XXIV p. 705, *Leodius* l. d. qui ſimul, quæ Rex reſponderit, afferunt.

Haſſo præfecturas Moguntinenſes conterminas occupante,

3) Enimuero, dum Sebaſtianus ita de ſiſtendis Henrici armis agebat, *Guilielmus* Landgrauius die V Maii (quod auctor § XXIV demum memorat) per tribunum *Mareum Leſch* tres præfecturas ſupra dictas, Fritislarienſem, Amenеburgenſem, & Neoſtadienſem, ex improuiſo in ſuam redigebat poteſtatem, ciuibus & colonis ſacramento ſua in verba adactis. Obtentui ſumtæ poſtulationes cum veteres, tum nouæ, quas diutius negligere vel in ſuſpenſo relinquere graue ſibi eſſe aiebat, damnoſumque.

Oldenburgenſi Eichsfeldiam aliaque loca perſultante,

4) Non longe poſt *Chriſtophorus*, Comes Oldenburgenſis, cum copias Alberto adduceret, non modo Heiligenſtadium, Duderſtadium, aliaque Eichsfeldiæ, quæ tranſibat, loca multis afficiebat incommodis; verum etiam Miltenbergam ac Biſchofsheimium, ſuperioris tractus oppida, militi dabat prædæ: cauſſatus, Moguntinos Hanſteinii, ſibi incumbentis, partes conſilio, opeque iuuiſſe; nec ſibi temperabat, quin ſe Archiepiſcopatus hoſtem deinceps futurum, aperte profiteretur.

Marchione Alberto bellum minitante,

5) Mox Albertus ipſe bello ditionis Moguntinæ populum perſequi inſtituit. Titulus, quem armis, furorique præferebat, non fuit vnus. Prætendebat enim, Sebaſtianum alieno ab fœderatis fuiſſe animo; iis reprimendis ſemel atque iterum conſcripſiſſe militem; conſcriptum mox ſubdole, nulloque alio conſilio exauctoraſſe, quam vt ſub Cæſaris concederet ſigna; Hanſteinio præterea machinas ſubmiſiſſe bellicas, eidemque prono ſemper per ſuos affuiſſe ſtudio. patuiſſe id nuper, dum Oldenburgenſi, Aſchaffenburgi flumen transmiſſuro, impedimentum iniectum; Hanſteinio contra, ad illum inſequendum, enixe præbitum adiutorium. Adhæc præfectos illum militares, militis legendi cauſſa ab ſe miſſos, in cuſtodiam tradidiſſe Moguntiaque expuliſſe; nec ad ſociorum litteras, vſque huc, quid voluntatis ſuæ ſit ac conſilii, explicaſſe; vt adeo ſatis appareat, hoſtibus ipſum fauere, omnique addictum eſſe modo. Edit. I p. 910

quin terris Moguntinis inferente,

6) Cum igitur, Norimbergenſibus, & quos eodem tempore afflictarat, Epiſcopis, Bambergenſi & Wirzburgenſi, ad iniquiſſimas pacis conditiones adactis, Mergenthemii fœderatis in via ſe iunxiſſet, quicquid irarum conceperat, in Archiepiſcopatus terras diſtringebat; & quamuis Palatinus, Wirtembergenſis, aliique miſſis legatis quam enixiſſime deprecarentur, ne quid Sebaſtiano damni daret, ſed omiſſo belli conſilio ad pacem ſe flecteret, tantum tamen abeſt, vt illorum admiſerit preces, vt pótius copias ſtatim ſuas, gulæ tantum & incendiis aſſuetas, Chriſtophoro, de quo paullo ante dictum, Oldenburgenſi ductore, in agrum Moguntinum immiſerit; quæ velut inundantis diluuii rapiditate Krauthemium, Kônigshofam, Biſchofsheimium, Külsheimium, Amorbacum, Nidenauiam, Miltenbergam obruerunt, gratiſſimo ſingulis tributo, lytri nomine, indicto. Conf. *Leodius* l. d. p. 282.

7) Ipſe dein ſecutus, reliqua tractus ſuperioris oppida, locaque, Protſeldam, Klingenbergam, Seligenſtadium, Steinheimium, Diepurgum, Gernsheimium, & Hauſen, acerbiſſimis exactionibus, in vicem expilationis ac incendiorum, onerata, Galliarum Regi, ſibique iureiurando obſtrinxit; ſimul vero, quicquid in horreis vinariis & granariis apparatus principalis erat, improbiſſima diripuit ratione.

periculo ipſe ſe ſubduxit.

8) Quo rerum ſtatu Sebaſtianus, furori cedendum ratus, VI Iulii (non V, vt auctor *Sleidanum* ſecutus habet) Moguntia diſceſſit, & in tutiora ſe loca contulit, melioribus quidem temporibus vt ſe ſeruaret.

Demerſit autem ante, quam periculo ſe ſubduceret, machinarum bellicarum nouem paullo ſupra Eltuillam, & viginti quinque infra Rüdisheimium, quod auctori illuſtrando haud viſum præterire.

de pace cum Haſſo agit.

9) Cum vero inter hæc de pace Paſſauii ageretur, & ſuos ipſe ibi habuit conſiliarios, in commune cum ceteris conſultaturos. Pacem enim, ſi quis alius, poſcebat. Et ne quid prætermiſiſſe videretur, ſigillatim de controuerſia, quæ ei cum Landgrauio intercedebat, ſedanda agere inſtituit; primum quidem cum eiusdem, qui Paſſauii erant, conſiliariis; dein in caſtris cum Guilielmo ipſo: quanquam res hæſerit, donec Othone Henrico, Palatino, ſequeſtris partes obeunte, primum ea Hanouiæ, deinde Francofurti ad aliquam concordiæ faciem adducta eſt. Supererat, vt de machinis quoque, quas Haſſi flumine extractas ſubduxerant, tranſigeret. Sedenim & id negotii, Othone Henrico itidem adnitente, confectum, data Guilielmo ſyngrapha, Sebaſtianum eas octodecim aureorum millibus redempturum.

Branden-

XXII Indigniſſime hanc qualem qualem pacificationem tulit *Albertus*, & de ſocio Mauri-

Edit. I pag. 911

Mauricio acerbe, odioſeque admodum loquebatur: qui & deſertam ab illo Francofurtenſem obſidionem vrgere inſtitit. Sed eandem die IX Auguſti ſoluit, & omne in vicinam Moguntiam iræ, furorisque virus effudit. Hanc, reſiſtente nemine, ingreſſus, ſuam in fidem ciues adigit, iisque XII aureorum millia imperat: Clero autem centum millia. Sed cum eccleſiaſticorum plerique fuga dilapſi eſſent, tam ingens tam ſubito ſumma confici non potuit. Templa ſacrilege diſpoliauit: *S. Martini* arcem, quæ Archiepiſcopi domicilium, & tunc ipſius hoſpitium erat, nefarie incendit, ſimulque die XXIII Auguſti, pridie S. Bartholomæi, nobiliſſima illa, de quibus lib. I cap. XXX & XXXI dictum ſatis, templa, *S. Albani*, *S. Victoris*, *S. Crucis*, & *Carthuſiam*. S. Iacobi cœnobio peperciſſe aiunt, vel quod ibi aliquando, cum in Cardinalis Alberti aula verſaretur, liberaliter interdum habitus eſſet, vel quod pro huius incolumitate deprecata eſſet mater, quæ quodam tempore, cum aliunde veniens, intendentibus tenebris, vrbe fuiſſet excluſa, illuc diuerterat, benigneque prout ex tempore fieri potuit, accepta fuiſſet. Primario etiam templo nefarias ſubiicere faces voluerat. Sed vt ſaluum illud fineret, effecerunt cum aliorum bonorum virorum, tum vero D. Richardi Palatini & Canonici, Præpoſitique Moguntini apud eum preces. Iam vt eccleſiaſticorum omnium ædes pariter conflagrarentur præceperat, ſed cum fore id ciuitati toti noxium incendium, ſuasque eodem implicandas domos, ciues oſtenderent, vt flammis quidem abſtineretur, annuit, ſed vt eæ illorum manibus diruerentur, iuſſit. Quod, vbi tamen diſceſſit, haud factum. Simili modo incendit arcem eiuſdem Archiepiſcopi Aſchaffenburgenſem & Miltenburgenſem: eandemque Steinheimenſi cladem inferre cogitabat, ni Cæſarianorum, qui Francofurti erant, Præfectus prohibuiſſet. Eodem incendiorum, direptionum, depopulationumque genere per Germaniam longe, lateque graſſatus Albertus in Galliam ad Regem tendebat: Sed in Lotharingia maximis cum damnis hæſit, vſque dum venienti ad obſidionem Metenſem Imperatori certis conditionibus reconciliatus eſt.

burgico mox omnem furorem in diœceſin effundente.

Vrbem ingreſſus *Albertus*, ciues Regi Galliæ ſacramentum dicere coegit. Inde Rhingauiam, Olmenam, Algesheimium, Hôchſtam, Lohnſteinium ſui fecit iuris, ac Sebaſtiano & clero Moguntinenſi ſexcenta florenorum millia imperauit. quæ ingens ſumma cum confici haud poſſet, in tractu ſuperiori arcem Aſchaffenburgenſem & Miltenbergenſem, Moguntiæ vero eam, quæ *D. Martini* nomine appellata eſt, templa itidem, de quibus auctor feralibus flammis in buſtum coniecit. Quibus improbiſſime peractis Lutram Cæſaream verſus iter inſtituit.

Ceterum notes, *Richardum* Palatinum, cuius precibus adductus ædem primariam intactam reliquit, tum nondum Præpoſiti eminuiſſe dignitate, ſed ſolum fuiſſe in Canonicis, ac demum anno MDLIX *Marquardo* de *Stein* ſucceſſiſſe. Vid. *Syllabus* noſter *plenior* ſect. I p. 291.

XXIII Venit vero ſuis cum copiis Imperator Auguſtam die XX Auguſti, eodemque ad illum feſtinauit, poſt multa, & difficilia itinera, noſter Sebaſtianus, indeque Moguntiam rediit, funeſtos illos incendiorum cineres mœſtus aſpiciens.

ad Cæſarem venit Sebaſtianus.

populum denuo in fidem recipi curat

Ad Cæſarem cum veniſſet, id primum rogauit, vt ditionis Moguntinæ populum iurisiurandi religione, qua coactus ſe Galliarum Regi obſtrinxerat, exſolueret. Eo cupide libenterque annuente, nulla mora interpoſita Canonicorum & Conſiliariorum quibusdam in mandatis dedit, vt in fidem eum denuo recipiant: quod & communi omnium lætitia factum.

Inde in tractus ſuperioris fines ipſe venit, vbique locorum quam honorificentiſſime & clariſſimis obſeruantiæ argumentis exceptus. & poſtquam Hôchſtam die X Septembris feliciter appuliſſet, Moguntiam haud cunctatus rediit.

in diœceſin ipſe ſe confert.

XXIV Eodem anno MDLII, die V Maii ſub horam pomeridianam tertiam occupauit Amœneburgum *Guilelmus* Haſſus, omniaque ilico Catholica ſacra ſilere iuſſit. At per D. *Io. Andream* de *Moſpach*, Eichsfeldiæ Præfectum, alioſque inſignes Legatos cum illo ſic egit Archiepiſcopus, vt pridie S. Michaelis ad priſtinum Dominum, priſtinumque Dei cultum redierit illud oppidum.

Heidelberga Palatinum inuiſit.

Anno ſequenti LIII Heidelbergæ, cum Treuirenſi & Cliuenſi, Friderico Electori Palatino affuit, & quotidie, vsque ad diem XXX Martii de republica tractauit. *Leodius* l. d. p. 288; fœdere etiam, vt ab iniuriis ſe defenderent, inter ſe inito. *Sleidanus* l. d. p. 731.

Francofurtano intereſt

Francofurtano, belli Franconici cauſſa inſtituto, interfuit, ac ad reducendam Albertum Brandenburgicum inter & Epiſcopos concordiam ſua contulit conſilia; quanquam re infecta diſceſſiſſet. *Sleidanus* l. d. *Camerarius* annotat. rerum præcipuarum anno MDLIII p. 545.

conuentui

Paullo poſt, ad initium Iulii, conuentui

E Gallia vero reuerſus Albertus de inſtituta Germaniæ vaſtatione nihil remiſit; ſed an. MDLIII ſcelerata in omnes pæne illius partes arma circumtulit, donec a Mauricio, quondam ſocio, Iulii die IX ad Viſurgim, cruentiſſimo fractus prœlio, virium ſuarum robur omne perdidit. Cumque Moguntinus noſter, Palatinus, Bauarus, Wirtenbergicus, & abſentium quorundam Principum, Ferdinandique Regis legati Hailbrunnæ conueniſſent, de communi re ab iis deliberatum *. Edit. I pag.

* Factum id medio Septembri. *Leodius* l. d. p. 291.

Decanum Hildesheimenſem confirmat.

Anno ad exitum vergente rogabatur Sebaſtianus, vt *Burchardum* de *Oberg*, quem Canonici Hildeshemenſes ad ædem principem in locum *Ludolfi* de *Veltheim* Decanum elegerant, auctoritate metropolitana confirmaret. Hildeſienſis enim poſtulatus, ad quem alioquin id ſpectabat negotii, nondum Pontificis Romani probatus erat iudicio. Enimuero, cum nil obſtaret, quo minus Collegii annueret precibus, litteris Steinhemii XII Decembris die ſignatis electo dignitatem de more conſtabiliuit.

XXVI Sollicitantibus poſtea tot & tam multis, quos tam atrociter incendiis & depopulationibus vexarat *Albertus*, hunc Spirenſis Cameræ Iudices, cæremonia ſolenni, Cal. Decembribus proſcripſerunt, vt publicæ quietis, & Imperii perturbatorem, dimiſſis huc illuc litteris, & affixis palam: ipſiusque vitam, & fortunas omnium prædæ permiſerunt. 912

cum fœderatis deliberat Bruchſalia.

Eo vero conductis nouis copiis bellum inſtaurante, qui in fœdus de ſecuritate publica tuenda coiuerant Principes, *Sebaſtianus*, *Fridericus* Elector Palatinus, *Chriſtophorus* Dux Wirtembergenſis, *Ioannes* Treuirenſium Antiſtes, & *Albertus* Bauariæ Dux, hi duo per legatos, ceteri per ſe, de comprimendis illius auſibus anno MDLIV ſubſecuto, Bruchſaliæ in tractu, qui *Pruhrhein* vulgo appellatur, a die menſis Martii V ad XIX vſque egere. Quod dum memoro, non poſſum, quin ſimul notem, fœderis huius Ducem (*Bunds - Obriſten Hauptmann*) fuiſſe *Chriſtophorum*, quem modo dixi, Wirtembergenſem; Cancellarium vero (*Bunds - Canzler*) D. *Rochum Freymann*. Sed redeundum ad auctorem, qui de proſcriptione dicta ita pergit:

Eademque proſcriptio in illum iterato ab Imperatore ipſo, Bruxellæ, anno MDLIV contorta eſt: tandemque ſub Iunii finem a Wirceburgicis, Bambergicis, Brunſwicenſibus, & aliis ad Schweinfurtum & Kitzingam profligatus, omnique ditione, Blaſſeburgo præſertim arce, in qua Brandeburgici ſoli ſpes omnis poſita, funditus euerſa, pulſus, & eiectus in Galliam profugit. Vnde ne quid turbarum nouarum daret, in Wormacienſi conuentu, menſe Auguſto, rurſuſque in Francofurtenſi, menſe Octobri, prouiſum. Decembris die XVIII (ait citatus ille auctor) Cæſar, Bruxellæ datis litteris ad omnes Principes, ac Ordines Imperii, *Quam grauibus* (dixit) *de cauſſis*, *Albertus Brandeburgicus*, *ante annum ſit a Cameræ iudicio proſcriptus & perduellionis condemnatus*, *ex iis*, *quæ tunc palam fuerunt affixæ*, *quæque poſt etiam a nobis emanarunt*, *litteris atque mandatis*, *aperte vobis conſtat*. *Quia vero ſuis illis turbulentis conſiliis*, *atque pernicioſis pertinaciter inſiſtit*, *& res nouas haud dubie molitur*, *vt communem omnium parentem Germaniam denuo vexet*, *& affligat*: *deinde*, *quoniam ſua paſſim habet apud nonnullos diuerticula*, *receptum*, *atque perfugia*, *ſicut ad me defertur*, *equidem*, *vt patriæ conſulam*, *edicta ſuperiora neceſſario renouanda*. *præſertim*, *cum ex vobis neminem eſſe credam*, *qui non & patriam amet*, *& ſibi*, *ſuiſque finibus*, *atque populo conſultum*, *& illius atque ſociorum conatus impediri velit*, *atque tardari*. *Quapropter iisdem*, *quæ a me iam pridem ſunt propoſitæ*, *pœnis iterum edico*, *ne quis illum*, *atque ſocios vllare iuuet*, *non ope*, *non conſilio*, *non hoſpitio*, *non pecunia*, *non annona*, *non tormentis*: *vt etiam ipſe vel ſocii manus vllas faciant*, *aut militem cogant in alicuius finibus*, *nemo illis permittat*, *& ſi quid eiuſmodi moliantur*, *modis omnibus*, *pro ſe quiſque prohibeat*, *ſuæque ditionis homines*, *ne tranſcurrant ad eum*, *coerceat*, *ſontes autem*, *& qui dicto non ſunt audientes*, *plectat*. Hæ litteræ paſſim promulgatæ fuerunt, excuſæ typis. 913

l. XXV p. 765

XXVII Sub eiuſdem anni finem eſſe debuerant Auguſtæ Comitia, eoque venerat ad XXIX Decembris Ferdinandus Rex, ſed ea ſecuto anno habita ſunt. Ad quæ tamen non eſt profectus Sebaſtianus, quia ab alio Imperatore ad alia vocabatur comitia. Nam ad Idus Martias cum cæleſti vita terrenæ huius commutationem fecit. quæ tamen præſens vita ipſi ſane in tot, tantiſque curis, timoribus, & laboribus parum eſſe iucunda potuit, niſi ad Dei O. M. gloriam, eccleſiæ

Edit. I p. 913 cleſiæ ſanctæ vtilitatem, ouiumque ſibi commiſſarum ſalutem, & futuram æternæ felicitatis mercedem oculos identidem conuertiſſet.

morbo implicitus, 1) Habebat iam ſub anni MDLV initium minus belle. Quum vero menſe Februario inclinatæ magis valetudinis motus ſentiret, Canonicorum ſuaſu, dominica *Inuocauit* dicta, Steinhemio Eltuillam conceſſit, ac ſollicita Medicorum vſus eſt ope, accito Heidelberga *Ioanne Langio,* qui ætate iſta artis medicæ experientiſſimus & prudens in primis habebatur.

Eltvilla vita defungitur 2) Sedenim ſpe longioris vitæ abſciſſa, ad meliorem ire animo atque cogitatione cœpit, ac die XVII Martii ad ſupremam morientium luctationem religioſe præparatus ac munitus, Lunæ, poſt dominicam *Oculi*, quæ XVIII Martii erat dies, paullo ante octauam matutinam, inter ſacerdotum inſtituti Carthuſienſis aduigilantium & aulicorum preces, placidum ſortitus exitum, naturæ conceſſit; poſtquam vixiſſet annos XLVII, dies II. Auctor, dum ad Idus Martias defunctum ſcribit, *Sleidanum* ſequitur, qui idem, quamuis perperam, dicit lib. XXVI p. 775.

3) Quo minus autem mors in vulgus ſtatim emanaret, opera data. quandoquidem aulæ Magiſter, *Eberhardus Rüd* de *Collenberg*, ad eam clam habendam cubicularios & qui morienti ex obſequio adfuerant, ſacramenti religione obſtrinxit, iuſſitque, vt interea menſas de more tanquam viuo inferant, ac ita ſe gerant, quaſi ſolita ipſi exhiberent miniſteria.

Moguntiam abductus, 4) Die XXIII Martii funus ſollemni pompa Eltuilla abductum. Vehebatur autem naui; ad quam id hora VI matutina humeris ſuis extulere viri decem, & munerum amplitudine & eximiæ nobilitatis laude ſpectati, *Philippus* de *Graenrod*, Præfectus Lohnſteinenſis, *Fridericus* de *Stockheim*, Vicedominus Rhingauiæ, *Ioannes* de *Stockheim*, Præfectus Olmenæ & Algeshemii, *VVolfgangus* de *Hatſtein*, Satrapa Höchſtenſis, *VVolfgangus Albertus Rüd* de *Collenberg*, *Ludouicus* de *VValbrunn*, *Daniel Camerarius* de *VVormatia*, dictus *Dalberg*, *Eberhardus* de *Heppenheim*, dictus *de Saal*, *Antonius* de *Lautern*, & *Stephanus* de *Fechenbach*. Vbi ventum Moguntiam, nauis iuxta turrim, quæ *rubea* vulgo vocatur, appulſa. Illi cum ſacer Cleri ordo, omniumque cœnobiorum conuentus, in agmina ſua coacti, hora poſt meridiem prima ad cohoneſtandas exſequias ſucceſſiſſent, feretrum ſubiere, quos diximus, & funus e naui, iuxta litus Rheni ſurſum verſus, per portam piſcatoriam in ædem principem deportarunt. Inde ſermo funebris habitus. quo finito, corpus e medio templi, in quo depoſitum fuerat, in *locum Memoriæ*, vt vocatur, extulere iidem: vbi ritu ſollemni humo mandatum.

5) Conditum autem fuit in *loco Memoriæ**, iuxta pias exùuias patris *Martini* de *Heuſenſtamm*: id quod nobis *MS. Auguſtinianor.* ita prodit: *vnd zu ſeinem Vater*, Martin *von* Heuſenſtamm, *auf die Memori begraben.* Lapidem tamen, quod notes, ſepulcralem non habet. *ſepelitur in æde maiori.*

* *Haud procul ianua ſacelli* D. Nicolao *dicati.*

XXVIII In ſummo vrbis Moguntinæ templo viſitur mauſoleum, in quo iſta, ſupra eius caput:

Vigilate, quia neſcitis diem neque horam. Matth. 25, 43

Infra pedes: MEMENTO MORI. Et infra:

D. Sebaſtiano ab Heuſenſtam, Moguntino Archiepiſcopo, S. Romani Imperii per Germaniam Archicancellario, Principi Electori, &c. Viro ingentio, rerumque vſu clariſſimo, vtriuſque I. Doctori, ac in adminiſtranda rep. domi, foriſque indefeſſo; qui inter fluctuantes Germaniæ procellas dum fatigatus oneri ſuccubuiſſet, ſpiritumque Deo reddidiſſet, ſucceſſor pio officio monumentum poſuit. Sedit annis IX menſibus IV diebus XXVIII. Moritur in Eltuil XVII Martii MDLV.

cohoneſtatur monumento. 1) Mauſoleum hoc viſitur ad columnam, in ichnographia ædis primariæ lit. *R* ſignatam. Infra pedes vero non legitur, vt hic, *Memento mori*, ſed, *Memorare nouiſſima.* Pro *XVIII Martii*, quem diem ſupra ſignauimus, habet quidem, *XVII* Martii: ſed male. Diſtincte enim *XVIII*, & bis quidem, ponit auctor narrationis, de morte & ſepultura illius, tum temporis ex officio confectæ.

laudatur a virtutibus. 2) *Princeps fuit*, vt *Latomus* inquit, *tranquillieri tempore digniſſimus, qui maxima parte ſui apud Danielem ſucceſſorem & omnes bonos diutiſſime vixit. Inter hos tumultus, quicquid pecuniæ congeſſit, id totum ad rationem ædificiorum, tum in redemptionem oppidorum oppigneratorum deſtinauit.*

3) In pauperes fuit beneficus: quod & vltimæ voluntatis ſuæ tabulis teſtatum fecit. Vnde quotannis, dum in ædium maxima defuncto parentat clerus, ſenes quidam, fortunæ inopes, in *loco*, quem diximus, *Memoriæ* certo numero conſident, orantes: quibus dein eleemoſyna erogatur. *beneficus fuit in pauperes.*